


CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE



IANUARIO-APRILI 1965

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

DUBIA

Solutio quae proponitur nullam induit vestem officialem. Solummodo habet valorem orientativum: solutiones enim ex officio publici iuris fiunt, si casus fert, a competenti Auctoritate in « Acta Apostolicae Sedis ».

AD INSTRUCTIONEM

Ad n. 56:

58. Utrum in Missis cum populo celebratis, oratio fidelium sit obligatoria diebus ferialibus?

Resp.: Diebus ferialibus non obligat.

59. Utrum Ordinario loci liceat conficere pro sua dioecesi formularia Orationis fidelium, an haec facultas exclusive sit penes Coetum Episcoporum nationis?

Resp.: Secundum Instructionem n. 56 « in locis, ubi Orationis communis seu fidelium usus non habetur, competens auctoritas territorialis decernere potest ut fiat... formulis interim ab ipsa approbatis ».

Attamen, in formulis exarandis, maxime convenit ut facultas singulis Episcopis relinquatur addendi unam alteramve intentionem, quae necessitatibus cuiusque dioecesis vel loci respondeat.

60. Utrum liceat rectoribus ecclesiarum addere ad formularium quoddam unam alteramve intentionem ad Orationem fidelium secundum necessitates locales?

Resp.: Licet, immo valde convenit, eadem ratione, quae supra, pro dioecesibus, indicatur.

Ad n. 78:

61. Utrum Religiosi « choro adstricti » adhuc obligentur ad recitationem Horae Primae?

Resp.: Ex recenti consensione (2 iunii 1965) Apostolica Sedes remisit Superioribus Maioribus religiosis, ut secundum prudens eorum iudicium, statuunt Horam Primam retinere aut facultativam declarare pro suis subditis.

Ad n. 91:

62. Utrum stabiliter exstrui liceat altare portatile ante altare maius ad celebrandam Missam versus populum?

Resp.: Per se licet, sed non consulitur. Nam Missa ad normam novi Ordinis celebrata, optime participatur a fidelibus etiam si altare ita exstruitur ut celebrans terga ad populum vertat. Tota enim liturgia verbi celebratur versus populum, ad sedem vel ad ambonem.

Si autem, his non obstantibus, ecclesiae rector aestimaverit aliud altare, portatile, collocare ante altare maius, hoc ponatur *ad tempus*, et inter utrumque altare intervallum vere notabile intercedat, et altare portatile circa se habeat satis magnum spatium ad modum presbyterii.

Ad n. 95:

63. Utrum, si altare maius versus populum exstruitur, ad mentem *Constitutionis* et n. 95 *Instructionis* SS.ma Eucharistia asservari conveniat in altari minori ab altari principali distincto?

Resp.: Affirmative.

64. Utrum liceat sacrum litari coram SS.mo Sacramento exposito, in altari portatili, in eodem loco altaris expositionis, sed ab eo distincto?

Resp.: Negative. Nec potest in oppositum afferri Cod. rubr. n. 349 agens de Missa die medio occasione quadraginta Horarum, quae celebrari debet « in altari ubi Ss.mum Sacramentum non est expositum ». Nam agitur de altari, ita ab altari expositionis distincto, ut non impediat adoratio Ss.mi Sacramenti.

AD RITUM SERVANDUM IN CELEBRATIONE MISSAE

Ad n. 14:

65. Utrum liceat celebranti in Missa versus populum celebrata, dicere preces ad gradus altaris terga vertens populo?

Resp.: Licet.

Ad n. 35:

66. Quomodo gerere se debeat celebrans in Missis, v. g. fer. IV Quat. Temp., sabb. Quat. Temp., fer. IV post dom. IV Quadrag. etc., cum ipse lectiones omnes legere teneatur, deficiente idoneo lectore?